QVÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE
DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
DIE IOVIS XI APRILIS.

M. DIONYSIO ALLAIN Doctore Medico, Moderatore.

756

An lui venen alexipharmaca?

INSALVBRIVM causarum quæ in humanum corpus agunt, non vna, non æqualis est facultas: Quædam enim adeo leues, vt τὸ τοῦ πάσχοντος ὑποτυπῶδες requirant, atque ideo λαθερεῖς, καὶ ἀναισθήτους in corpore genitæ, aut extrinsecus diu sæpè occurrentes, de repentè morbos producunt: Quædam ita validæ & efficaces, vt κἂν σμικρὰ δόσει θανατηφόρα ἦσιν vt τὰ διλητήρια, quorum malignitatem vt πᾶν τὸ παλὺ mole, ἢ τὸ μέλαινα χολὴ, & τοῦ στέρματος ὑπόχεσις efficacià adæquare possunt: Tertij ordinis reperire licet, quæ vtrarumque concursu nascuntur, quales pestilentes & contagiosæ. Hæ enim tamsi partem materiæ à corpore mutuentur, eiusq; apparatum desiderent, τὸ εἶναι tamen ἐκ τῆς φθαρτικῆς οὐσίας accipiunt. Quibus ideo vtrisque concessa præsidia conueniunt, & ἀλεξητικὰ nempe, τὰ καθαρτικὰ, ἢ τὰ ἀλεξιφάρμακα.

VENEREA lues contagione crebrâ, non nouitate nobilis, animorum nominus, quam corporum flagellum, morbus non est, multò minus totius substantiæ, cuius non alia statuenda τῷ φύσει διάθεσις, quam triplex illa à Galeno tradita, recentiorum figmenta harum aliquam, aut τὸν φθορέα significant, quæ non τῆς νόσου, sed τῆς νεκρώσεως nomine donanda est. Causam verò multorum tum morborum, tum symptomatum, etiam nullis prægressis morbis, agnoscimus: cacochymia est biliosa, melancholica, putris, ichorosa, acris, mordax, pituitæ admixtione crassa, viscida, ex se aliquando in corpore genita; (quo tempore elephanticum morbum parit) sæpe διὰ τῆς νοσερᾶς ἀπορρύσεως, quæ ab eadem lue affecto corpore, idque in coïtu (osculum aut poculum viuenti mali authores facimus) in alterius coniuncti exilit & diffunditur, modo sola tetri vaporis ἀναθυμιάσει vretram primùm, dein prostatas, testes, vesicam, renes erodentis, vnde gonorrhea virulenta, stranguria; modo humoris etiam appulsu putre facientis, vnde glandis, & totius pudendi putredinosa vlcera. Prior inuadendi modus, vt facilior, sic minus timidanda profert symptomata. Posterior contra vt diuturniorem exigit actionem, sic magis horrendorum symptomatum est author: vterque ἐμμάσει prauâ vicinos primùm, tumores, siue partes inficit, eâdemque labe respergit, vnde ἀκαθαρσία insignis, quam dum primis vijs inhæret, natura excernere conatur per bubones; vbi verò longius serpserit, πανσηπτοφλεγμασία vniuersi corporis sensim inuehit.

ΥΣΙΕΣ νέουσιν ὑφροι, modo eorum causa τῆς κακούργων nihil sapiat, tantâque μεσίας non sit prædita, vt aut quantitate immodicâ earum vires superet, aut qualitatis ineptitudine eas tum erethismi vacuitate non excitet, aut excitatas eludat: tunc enim facilius natura succumbit; quo iure vbi penitus introducta lues, nec pepasmi, nec crisis capax esse potest, sed ab humoribus in partes sensim progrediens, triplicem illarum substantiam inuadit, vt ossa aliorum morborum vim quasi effugientia, eius conatus sæpe experiantur, prius tamen spirituosam substantiam, deinde humidam, tandem solidam attingit, eas febre, rebrisque pustulis, crustosis, duris, furfuraceis, in medio subsidentibus vestiens, quæ postea in vlcera putrida, cacoethia cum labris duris, aliquando nigricantibus in pudendis, palato primum obortis, degenerant: has sequuntur cutis asperitas & crassities, pilorum effluuium, fœtens anhelitus; Quod si ob crassitiem humor subsistat nec liberè diffletur, ecernaturue, dolores ingentes, ossium, & articulorum tumores insurgunt, à quibus numquam sese natura vindicaret, nisi medicus illi opitularetur.

ΤΑ κρηνόμφαλα, ἢ κεκριμένα ἀφτίας mouere non aggreditur Medicus, sic luis venere materiam per totum corpus diffusam, quòd criticos conatus non experiatur, arte sua sollicitabit, idque alterantibus, vacuantibus, & alexipharmacis, accedente insuper conuenienti victus lege; quæ in rara & parca τῆς τροφῆς εὐχύμου, & εὐπέπτου, larga contrà decocti è Guaïaco, Chyna, sarsaparilla, & similium, exhibitione, ac debito quinque reliquarum rerum non naturalium vsu reponetur, non veritus ἐν τῇσι μακρῇσι νούσοισι λιπΐδος διαιτᾶν. Alterabit medicamentis tenuantibus, siccantibus, aperientibus, mollientibus, lenientibus, alexipharmacis: Vacuabit phlebotomiâ, catharsi, sudore, diaphoresi, vomitu, apophlegmatismis. Vena secabitur, brachiorum, crurum, frontis, & quælibet alia, quarum vsum ad therapiam quam ad prophylaxim magis probamus · Catharsis è catholicis confectionibus, senna item, agarico, rheo, tamarindis, polypodio: Exuperantibus ijs quæ humori dominanti maxime analoga fuerint: Præsertim verò melanagogis, & phlegmagogis, ijsq; fortioribus, Elleboro, hermodactylis, colocynthide, &c. Addito cuilibet aromatum, vt & sudorificorum aliquo. Sudor aëris tepore; feruore arte concitatis, iuniperi, buxi, guaïaci, sarsaparillæ, chynæ, & similium decocto, frictionibus, nitri aspersione, alexipharmacis (quibus nomen ab effectu; natura verò ἐν τῷ μέσῳ τῆς τε πασχόντων σωμάτων, & ἀδικούντων αὐτὰ φαρμάκων) promouebitur: quibus etiam diaphoresis concitabitur, omnibus frequenter repetitis, eo quòd ἀ ἐνκαταλιμπανόμενα τὰς ἐκτροφὰς ποιέει ἐλάσσω.

HAC arte exclusâ antecedente causâ, coniuncta aliquando exulat, leuioresque delenati tumores, vt & alia symptomata recedunt, quod tamen aëris bonitatem præstare negamus: at vbi ex vetustate, aut prauâ medendi ratione altius putris, & ichorosus tumor irrepserit, vlceraque palatum, nares, cæteras partes putredo, ossaue caries inuaserint; aut crassior, narium polypos, ossium & articulorum tumores dolorum atrocissimos parentes protulerit ad ἐσχατας θεραπείας deueniet, hydrargyri optimè parati litum intelligimus, quod vt crudum repellit & refrigerat, sic extinctum attenuat, attrahit, siccat penetrantissimè, vlcera deinde aquâ theriacali, mercuriali, & ex metallicis siccantibus confectâ ablutet, iisdem putredines arcebit, curabit, etiam incipiente lue. Hyperfarcoses ferro excidet, tumores articulorum, & ossium alijs irritis eodem aperiet, cariem igne consumet, restitantem demum νοσώδη διάθεσιν conuenienti diæta extinguet, admixtis, vt in alijs venenatis affectibus, alexipharmacis, quorum vis tenuans, exsiccans, odor excellens, calor præpotens (frigida etenim & lenientia ab horum censu excludimus) τὰ φθοροποιὰ ad cor appulsum prohibent; eadem per vrinas, sudores, aut insensilem transpirationem abigunt, aut in substantiam ὠφελίμου commutant, quorum ideo non ad prophylaxim solum, sed & ad therapiam, epanorthosim, & epanalepsim salutaris est vsus.

Ergo lui prorsus alexipharmaca. 202.

Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS GVERIN Parisinus. Anno R. H. M. DC. XXX.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE